

ARTICULUS II.

Ad quid formaliter serviat gratia habitualis in Christo?

I. Quatuor effectus possumus considerare, ad quos gratia habitualis deserviat, præter gratiam unionis. Primus est, ut anima Christi sanctificetur sanctitate accidentali, quæ distincta est a sanctificatione personali, nec repugnat diversas sanctitates esse in eadem anima, sicut sunt diversæ scientiæ unaquæque in genere suo: secundo, ad merendum per actus elicitos a gratia habituali: tertio, ad hoc ut actus habeat specificationem supernaturalem, quæ species sumitur ex objecto, et correspondere debet principium elicitivum proportionatum ejusdem ordinis cum objecto; et quia hoc principium esse potest, vel auxilium vel habitus, ideo quarto requiritur principium habituale, ut connaturali modo eliciatur ille actus supernaturalis in sua specie, seu substantia.

II. Dico ergo, habitualement gratiam ad omnes istos effectus deservire, sed non eodem modo; nam ad quosdam effectus requiritur tamquam simpliciter necessaria: ad alios autem non nisi ex quadam congruitate, et convenientia. Ad valorem enim meriti, et ad satisfaciendum non est simpliciter necessaria gratia habitualis (ut aliqui voluerunt) cum potius valor superior meriti, et satisfactionis desumatur ex valore personæ, ut supra quæstione I, disp. III, ostensum est. Et deducitur manifeste ex præcedenti articulo, quia si gratia unionis sanctificat humanitatem, et reddit illam Deo gratam, impossibile est, quod operationes ab ea procedentes etiam gratiæ non sint, et conse-

quenter meritoria, imo et meriti infiniti propter valorem personæ a qua procedunt; quem valorem a gratia habituali habere non possunt.

III. Dices: Requiritur ad meritum ordinatio operis ad finem supernaturalem; hæc autem ordinatio non nisi ab habitu charitatis, vel principio aliquo supernaturali provenire debet; ergo illud simpliciter requiritur ad merendum.

IV. Respondent aliqui talem ordinationem ad finem fieri, seu suppleri per ipsam gratiam unionis. Sed falluntur, quia gratia unionis solum se habet ut terminus personalis, et ut principium quod, non ut principium proximum elicitivum ut quo. Ergo operari talem ordinationem in finem supernaturalem non potest reduci ad suppositum divinum, sed oportet assignare aliquod principium quo proxime operativum, et elicitivum talis operationis, et ordinationis in finem. Et ideo dicendum est, quod in merito duo possumus considerare (et utrumque morale est) unum est ex parte valoris, quatenus ille actus procedit a persona digna; valor etenim ad dignitatem personæ pertinet: alterum est ex parte actionis humanæ, quatenus ordinabilis est a regula, et talis regula dependet a fine.

V. Dicimus ergo, quod valor moralis desumptus ex dignitate personæ non indiget in Christo gratia habituali, sed sufficienter potest desumi ex dignitate personæ per gratiam unionis. Ordinatio autem sumitur ex ipsa tendentia ab objectum morale, et regulationem illius, et ad talem ordinationem semper requiritur aliquod principium ut quo; et quidem si fuerit operatio illa ordinis naturalis, sufficienter principia naturalia, tam ex parte potentiæ, quam ex parte habitus, seu virtutum: si autem fuerit operatio su-

pernaturalis, requiretur principium supernaturale, non tamen propter ipsam dignitatem, et valorem meriti præcise, sed propter specificationem actus in ratione actus humani ordinis supernaturalis, quod pertinet ad tertium titulum.

VI. Est ergo simpliciter necessaria in Christo, primo, ad sanctificandam animam non absolute, sed sanctificatione accidentali, et participativa: hæc enim non potest a gratia unionis provenire, sed solum a gratia habituali, quæ est accidentalis participatio divinæ naturæ, sicuti scientia acquisita non est necessaria in Christo ad simpliciter sciendum, sed ad sciendum tali modo, scilicet secundum lumen intellectus agentis. Et quidem hæc sanctificatio licet magna sit, comparata tamen ad sanctificationem personalem, est longe inferior, sicut ordo gratiæ est longe inferior ordine hypostatico. Et ideo concedendum non est sanctificationem Christi consummari hac sanctificatione accidentali ut aliqui videntur concedere, quia cum sit inferior, non consummat illam, hoc est, non perficit intensive, licet dici possit, quod perficiat quasi extensive, et accidentaliter.

VII. Secundo, est necessaria sanctificatio gratiæ habitualis ad eliciendas operationes, quæ intrinsece, et ex specie sua supernaturales sint, ut bene deducit Alvarez hic disp. xxxi, conclusione prima, quia intrinseca specificatio actionum desumitur ab objecto, et consequenter a principio quo elicitivo, non a principio quod, seu supposito. Suppositum enim plures actiones specie distinctas elicere potest, determinatur autem specie actus per ordinem ad objectum, qui ordo debet esse in aliquo principio eliciente, quod determinate respiciat tale objectum. Et ideo præter suppositum ponuntur

in naturis potentiæ elicitivæ actuum, et præter potentias ponuntur habitus determinantes, indifferentiam potentiarum, ut dentur principia specificantia actuum.

VIII. Similiter ergo in Christo requiruntur principia supernaturalia ad eliciendos actus ex sua specie supernaturales, sicut in nobis nec sufficit solum principium quod, sive suppositum, ut etiam ad eliciendum actum visionis requiritur potentia visiva in Christo, et ad intellectionem intellectiva, nec sufficit suppositum sine potentiis. Similiter ergo requiretur principium supernaturale, ut dicatur actus supernaturalis, nec sufficiet suppositum, quia semper requiritur suum specificativum proximum.

IX. Denique, requiritur habitus supernaturalis gratiæ ad eliciendum connaturaliter actus supernaturales. Licet enim aliquando sufficiat auxilium per modum transeuntis, supplens vicem habitus, tamen connaturalis modus est, quod semper supponatur principium habituale ad hoc ut utamur illo quando velimus, et juxta illius exigentiam dentur auxilia ordinis supernaturalis, defectus tamen principii habitualis poterit suppleri per aliquod auxilium, seu dispositionem transeuntem, quod entitative vim habitus obtineat, sed modo permanenti non datur, qui est modus habitualis: non autem sufficit sola extrinseca assistentia Spiritus sancti sine impressione alicujus formæ creatæ, quia ille actus prout vitaliter procedit, procedit ut supernaturalis, et modo supernaturali. Non potest autem illa potentia præbere speciem supernaturalem actui, nisi in se habeat principium ejusdem ordinis, et supernaturalitatis a quo emanet. Nec sufficit extrinseca assistentia, quia non procedit ab illa potentia, ut ab instrumento extrinsece moto,

sed ut vitaliter operante; ergo intrinsece se movendo; ergo intrinsece dantesupernaturalitatem actui, atque adeo intrinsece elevata.

ARTICULUS III.

Utrum virtutes morales acquisitæ fuerint per accidens infusæ Christo?

I. Supponimus ex communi doctrina theologorum dari duplex genus virtutum moralium. Quædam ordinis naturalis, quæ nostris actibus acquiruntur, et regulantur secundum dictamen prudentiæ acquisitæ: quædam quæ sunt infusæ, et deserviunt fini supernaturali, et secundum dictamen prudentiæ supernaturalis regulantur. De quo videri potest S. Thomas 1-2, quæstione LXIII, articulo III. Et de his virtutibus moralibus infusis non dubitamus fuisse in Christo Domino a primo instanti creationis animæ, sicut fuit ipsa gratia, quia virtutes infusæ simul cum gratia infunduntur. De moralibus acquisitis est difficultas, an Christus Dominus propriis actibus illas acquisierit, sicut nos; an vero a primo instanti eas habuerit, sicut primo parenti fuerunt infusæ per accidens, sicut scientiæ naturales.

II. Et ex utraque parte militat satis controversa ratio. Nam si illas acquisivit propriis actibus, non potuit in primo instanti omnes illas acquirere, qui proprii actus fuerunt dependenter a sensibus; sensus autem operantur per motum corporalem, et dependentem a motu alterationis; motus autem non potest esse in instanti.

III. Et præterea non potuerunt omnia objecta virtutum acquisitarum offerri Christo in primo instanti, nec species talium objectorum per

sensus movere voluntatem, quia in illo primo instanti fuit in utero matris, in quo nec tales species, et objecta repræsentabantur, nec extra imprimi poterant. Si autem in primo instanti non habuit Christus illas virtutes, sed tempore procedente eas acquisivit, sequitur quod voluntas Christi caruit aliquo tempore inclinatione perfecta naturalis ordinis ad bonum, et consequenter rectificatione naturalis ordinis, quia hæc fit per virtutes acquisitas, voluntas enim de se est potentia indifferens ad rectum, et pravum. Quidquid autem ad rectificationem pertinet in voluntate Christi, non est concedendum, quod careat illo, sed simpliciter melius est habere talem rectificationem, quam non habere; ergo pertinet ad dignitatem Christi talis rectificatio connaturalis: et cum alias sit capax habendi illam a primo instanti per infusionem Dei, sicut habuit primus parens, non est hoc denegandum Christo.

IV. Ex alia parte dubium facit primo, quia scientiæ acquisitæ, seu naturales non fuerunt per accidens infusæ Christo, sed propriis actibus eas acquisivit, ut docet S. Thomas infra quæst. XII, artic. II, quia perfectius est acquirere propriis actibus naturalem perfectionem, quam non acquirere, si inde non sequatur privatio alicujus perfectionis simpliciter; ergo similiter debuit propriis actibus acquirere virtutes acquisitas: neque enim inde sequeretur privatio sanctificationis simpliciter, quia manebat supernaturaliter sanctificatus per gratiam, sicut quia retinebat supernaturalem scientiam, beatam, et infusam, non erat inconveniens carere ad tempus scientia acquisita naturali.

V. Secundo vero, est specialis difficultas propter prudentiam acquisitam, quæ est una ex virtutibus mo-

ralibus, et cæterarum directiva: hæc enim acquiri non potest, nisi sicut naturales scientiæ, scilicet per cognitionem, et experientiam singularium. Christus autem in primo instanti non habuit species acquisitas per experientiam, et ministerium sensuum; deficiente autem prudentia, deficiunt et reliquæ virtutes, quæ ab illa habent statum, directionemque virtutum. Sine statu autem et perfectione virtutis non decet ponere virtutes morales in Christo.

VI. Denique Paulus ad Hebr. II, docet: *Quod Christus didicit ex his, quæ passus est obedientiam; ergo non accepit illam infusam a principio, sed per labores acquisivit.* Sicut ex eo quod dicitur Lucae II: *Proficiebat sapientia, et ætate,* colligunt Ambrosius, et S. Thomas infra quæst. XII, art. II, quod acquisivit scientias naturales, nec fuerunt illi per accidens infusæ. Propter has rationes dubitandi theologi divisi sunt.

VII. Communior sententia docet Christum Dominum, ab initio habuisse omnes virtutes morales per accidens sibi infusas, ita magister Medina hic; Suarez disp. XIX, sect. II; Lorca disp. XXXVIII; Alvarez disp. XXXII; Asturicensis pagina 78, licet oppositum etiam probabile reputet Vazquez disp. XLII, cap. II, qui tamen excipit prudentiam, docetque illam non fuisse infusam per accidens, sed acquisitam propriis actibus, sicut aliæ scientiæ naturales. Loco tamen illius, inquit repræsentasse scientiam infusam Christo objecta virtutum acquisitarum, et supplevisse locum prudentiæ pro illo tempore. Aliqui theologi docent non fuisse infusas per accidens istas virtutes a primo instanti, sed acquisivisse illas propriis actibus, sicut et reliquas scientias. Ita Nazarius hic controversia prima, notabili IX,

et conclusione IV, nec est improbabilis sententia.

RESOLUTIO DUBII.

VIII. Dico primo: Etiam si virtutes morales, quantum ad suos habitus fuerint infusæ Christo Domino a principio, non tamen exercuit illarum actus a primo instanti. Hæc conclusio est contra aliquos, qui voluerunt Christum acquisivisse in primo instanti suæ conceptionis per proprios actus virtutes morales. Et probatur conclusio, quia virtutes morales acquisitæ non possunt exercere suos actus connaturales, et acquisitos, nisi prævia cognitione intellectus naturalis ordinis, et ejusdem proportionis cum illis virtutibus: species enim supernaturales, et cognitio scientiæ infusæ proportionem non habent cum actibus virtutum acquisitarum, ut illos regulare possint, qui modo superiori procedunt, et sic non ostendunt voluntati quomodo operandum sit suo modo connaturali, et acquisito: sed species naturales, et cognitio scientiæ acquisitæ non fuerunt infusæ per accidens Christo, sed opere intellectus agentis abstractæ, et acquisitæ; ergo ante talem acquisitionem non potuerunt actus virtutum moralium exercere, nec potuerunt in primo instanti abstrahi omnes species, quæ sufficerent ad omnia objecta virtutum moralium cognoscenda, et exercenda. Hæc enim objecta comprehendunt omnia agibilia humanæ vitæ quæ per virtutes exerceri possunt, et illa non potuerunt occurrere in primo instanti per sensus internos, neque externos, ut a phantasmatibus abstraheret species intellectus agens. Neque enim Christus in utero materno existens actiones visivæ potentiæ exercere poterat, nec ibi proponi

objecta, quæ videret, nisi multa, et inusitata miracula, eaque satis indecentia sine ullo fundamento ponantur. Quare Christus Dominus non potuit pro tunc habere actus cognitionis acquisitæ, et consequenter neque virtutum moralium acquisitarum, quia exercitium talium virtutum dependet ab exercitio cognitionis, et ista a speciebus acquisitis per sensum.

IX. Nec potest solvi hoc argumentum, nisi vel ponendo aliquas species acquisitas a primo instanti Christo infusas, ut posset exercere actus practicos cognitionis naturalis in prudentia, (ut probabile censet Asturicensis ubi supra) licet negentales species fuisse infusas ad scientias speculativas, ne intellectus agens otiosus maneret; vel secundo dicendo, quod actus moralium virtutum acquisitarum potuerunt regulari per actum scientiæ infusæ supernaturalis, ut admittit Vazquez.

X. Sed neutra solutio evacuat argumentum, primæ enim solutioni obstat, quia sicut est inconveniens Christum non acquisivisse propriis actibus aliquas species servientes pro scientiis speculativis, ita est inconveniens non acquisivisse eas, quæ deserviant prudentiæ, et scientiæ practicæ, sed istas fuisse illi per accidens infusas; si enim semel ponitur pertinuisse ad perfectionem Christi, quod scientias naturales acquisiverit, non est, quod restringamus illam ad acquisitionem aliquarum, et non aliarum, sed perfectius est, quod omnes acquisierit.

XI. Et deinde explicatur hoc amplius, quia si ex istis speciebus naturalibus, quasdam acquisivit Christus propriis actibus, et quasdam accepit per infusionem, sequitur quod neque infusio illa fuit perfecta, quia non infudit omnes, neque acquisitio etiam perfecta fuit, quia

solum paucas acquisivit, et non omnes, etsi tam acquisitio, quam infusio in isto casu essent imperfectæ, quod majoris indecentiæ est in Christo.

XII. Nec potest dici, quod accepit species infusas pro cognitione practica, et non pro speculativa, quia species, quæ deserviunt pro cognitione practica, illæmet sunt, quæ deserviunt pro speculativa, quia practicum, et speculativum non distinguuntur penes repræsentationem objectorum, sed penes ordinem ad finem, quia praxis respicit directionem operis, speculatio vero sistit in cognitione. Imo species prius deserviunt cognitioni speculativæ, quam practicæ; intellectus enim speculativus extensione fit practicus; ergo non potest dici, quod infunduntur species pro cognitione practica, et non pro speculativa.

XIII. Secundæ autem solutioni obstat, quia cognitio scientiæ infusæ est supernaturalis, et ex motivis supernaturalibus oritur; ergo non potest immediate, et proxime regulare actus virtutum acquisitarum, quia illi naturales sunt, et sic indigent regula naturalis ordinis, quæ sit proxime regulativa, licet imperari possit a supernaturali fine, sed non immediate elici, aut regulari ab illo; sic enim confundetur proximum regulativum cum remoto, et imperativo, nec modo connaturali tales actus a scientia supernaturali regulari possent, cum non sit illis proportionata, sed superioris ordinis, utpote supernaturalis.

XIV. Dico secundo: Probabilius est habitus virtutum moralium fuisse Christo infusus a primo instanti suæ conceptionis, neque acquisivisse illos per actus proprios, et acquisitos propter rationem jam dictam, quia isti actus exerceri non poterant sine functione sensuum,

neque sensus perfecte operari in illo instanti secundum omnes materias, et objecta virtutum, Christo tunc existente in utero matris.

XV. Fundamentum conclusionis sumitur ex supradictis, quia isti habitus pertinent ad rectificationem rationis in ordine naturali. Voluntas enim per virtutes manet inclinata ad bonum, recta autem inclinatio pertinet ad ipsam sanctificationem, seu rectitudinem ordinis naturalis, et consequenter ad dignitatem Christi pertinet nunquam tali perfectione carere. Et cum aliunde non possent exerceri actus acquisitivi talium virtutum in primo instanti (ut ostensum est) restat ut si in illo primo instanti non caruit tali rectificatione voluntas Christi, quod debuit illas per infusionem habere.

XVI. Dices: Per miraculum bene possent exerceri actus virtutum in illo primo instanti, ministrante Deo objecta sensibus, quæ sufficeret ad exercendam materiam virtutum. Neque est inconveniens recurrere ad miraculum, quia etiam ipsa infusio talium virtutum facta in primo instanti, miraculosa est; ergo si in quocumque eventu debet poni miraculum, quæ est major ratio cur ponatur ad infundendos illos habitus, et non ad exercendos illos actus?

XVII. Respondetur verum esse, quod utrumque miraculosum est, sed minus difficultatis est, minoraque inconvenientia sequuntur ex infusione habituum, quam ex illo exercitio actuum, quia actus illi non poterant exerceri sine dependentia a sensibus, neque sensibus objecta offerri sine multiplicatione miraculorum, eaque non valde decenter, supposito statu Christi tunc existentis in utero matris. Infusio autem illorum habituum non erat ita insolita, cum etiam Adamo colata fuerit, sicut et scientiæ natu-

rales, nec requirebat tantam multiplicationem miraculorum: et alias erat valde conveniens dignitati Christi, quod in nullo instanti caret habitibus pertinentibus ad rectificationem voluntatis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Ad rationes dubitandi in oppositum respondetur. Ad primam dicitur esse latum discrimen inter scientias acquisitas, et virtutes morales, quia scientiæ non solum acquiruntur per actus intellectus cognoscentis, sed etiam per operationes intellectus agentis abstrahentes species a phantasmatibus, ut illis informatus intellectus, actus suos eliciat, et scientias acquirat; quæ operatio intellectus agentis cessaret, si species infunderentur intellectui eognoscenti, nec ipso ministerio intellectus agentis darentur. At vero virtutes morales non acquiruntur aliis actibus, quam ejusdem potentiæ, scilicet voluntatis, a qua postea eliciuntur. Unde per hoc quod infundantur voluntati non manet potentia perpetuo impedita actu suo. Imo potius perfectiores eliciuntur operationes, si procedant a potentia perfecta per habitum, quam si non procedant.

XIX. Unde nisi aliud inconveniens obstat, melius esset potentiæ esse perfectam per habitum, quam non esse, sed in intellectu obstat aliud inconveniens majus, scilicet, quia acquisitio habituum fieri debet mediante speciebus acquisitis, et per illustrationem intellectus agentis acceptis. Si autem infunderentur tales species, maneret intellectus agens otiosus, quod non sequitur in voluntate per acquisitionem habituum moralium; quin potius magna convenientia est, ut nunquam careat voluntas humana Christi re-

ctificatione habituali, quæ fit per virtutes, licet illa simpliciter non indigeat ob sanctitatem, quam ex gratia habet.

XX. Dices : Quomodo primus parens habuit scientias naturales per accidens infusas, non obstante hoc inconvenienti, quod intellectus agens maneret privatus sua operatione, et tamen hoc reputamus in Christo pro inconvenienti?

XXI. Respondetur, quod primus parens non habebat scientias supernaturales sicut Christus; unde si produceretur a Deo sine scientiis naturalibus produceretur omnino ignorans, quod nullo modo decebat, cum produceretur a Deo in statu perfecto, et tamquam caput, et gubernator hominum in esse naturali; nec potest produci ut gubernator, si produceretur ignorans. Christus autem erat caput hominum in genere gratiæ; unde oportuit, quod produceretur cum plenitudine scientiæ in ordine supernaturali, scilicet cum scientia beata, et infusa. In genere autem scientiæ naturalis, magis oportuit, quod intellectus agens haberet suam operationem, et cresceret in ætate, et sapientia.

XXII. Ad secundam rationem respondetur prudentiam acquisitam fuisse infusam per accidens cum aliis virtutibus moralibus quantum ad habitum : exercitium vero prudentiæ non habuit quousque species acquireret per intellectum agentem. Et hoc peculiare est in prudentia, et non in aliis scientiis speculativis, quia habitus prudentiæ potest infundi sine speciebus, eo quod est in intellectu practico, ut moto a voluntate, et sic positus habitibus moralibus in voluntate, debuit etiam poni habitus prudentiæ in intellectu practico propter connexionem, quam habet cum virtutibus voluntatis. Scientiæ vero acquisitæ non habent con-

nexionem cum voluntate, nec sunt in intellectu, ut moto a voluntate, sed ut actuato, et illustrato speciebus; unde non infunduntur habitus scientiæ, nisi infundantur etiam species.

XXIII. Ad testimonium S. Pauli respondetur, non loqui de acquisitione habitu obedientiæ, sed de experientia actuali illius, sic enim interpretatur S. Thomas super illum locum : « Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, id est, expertus est, et didicit obedientiam, id est, quam grave sit obedire, quia ipse obedivit in difficillimis, et gravissimis; qui enim non sunt experti obedientiam, et non didicerunt eam, credunt quod obedire sit valde facile, sed ad hoc quod scias quid sit obedire in rebus difficilibus, et qui non didicit obediendo subesse, nunquam novit bene præcipiendo præesse. » Sic S. Thomas.

ARTICULUS IV.

Quæ virtutes morales fuerint, aut defuerint Christo?

I. Quod attinet ad virtutes morales, quæ Christo Domino repugnant, aut non repugnant breviter dico, non solum virtutes morales, quæ sunt ad alterum, ut justitia, et partes principales ejus, sed etiam virtutes, quæ versantur circa passiones moderando illas, fuerunt in Christo secundum perfectissimum gradum virtutis. Est expressa S. Thomæ hic art. II ad tertium, et infra quæst. XV, art. II, ubi virtutem temperantiæ quæ moderatur concupiscentias pravas ponit in Christo, non tamen continentiam, ut distinguitur contra temperantiam, quæ illis insurgentibus resistit, et quia supponit

insurgentes passiones non habet perfectum gradum virtutis.

II. Pro hujus intelligentia est notandum, quod materia proxima, seu objectum virtutum semper est bonum, scilicet recta electio eorum, quæ agenda sunt; sed materia remota potest esse aliquando mala, ut passiones immoderatæ, vel peccata in penitentia. Et quidem virtutum, quæ versantur circa passiones, vel circa mala tamquam circa materiam remotam, est duplex modus; nam quædam versantur circa passiones moderando; quædam resistendo, vel repellendo insurgentes, et immoderatæ, sicut continentia; quædam etiam præterita mala vindicando, sicut penitentia.

III. Illæ ergo virtutes, quæ moderantur passiones, et inclinant ad perducendum illas regulatas, et moderatas, non requiritur quod supponant passiones effrænatas, easque vincendo ad modum reducant, id enim per accidens se habet ad tales virtutes, ut dicit S. Thomas I part. quæst. XCV, art. III ad primum, per se autem solum requirit subjectionem talium passionum ad rationem, et perductionem earum secundum regulationem rationis, ut manifeste patet in justitia originali, per quam inferior appetitus erat omnino subjectus rationi in suis motibus, ideoque nullus erat fomes, id est, sensualitas effrænata, et tamen ad subjiciendum appetitum rationi non supposebatur fuisse rebellem. Et similiter in beatis manebunt virtutes, quæ versantur circa hujusmodi passiones, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. LXVII, art. I, in quibus tamen nullæ passiones erunt insurgentes contra rationem, sed omnino appetitus manebit subjectus spiritui.

IV. Et licet ratione status beatifici, aut innocentiae repugnet dari concupiscentias pravas, tamen adhuc

dicuntur virtutes versari circa illas moderando, et subjiciendo tales passiones, quia non solum perfectio est, quod passiones sint debilitatæ, et diminutæ ex causa extrinseca, et ratione status, sed magna perfectio est, quod sint debilitatæ, et moderatæ ex causa intrinseca, id est, ex ipsa perfectione, et virtute rationis, sicut eleganter docet S. Thomas 2-2, quæst. CLV, art. IV, præsertim solutione ad secundum dicens : « Quod quandoque provenit debilitas concupiscentiæ ex causa spirituali, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis sicut est in homine temperato. » Et hoc modo debilitas concupiscentiæ auget meritum, et hac ratione fuit magna perfectio in Christo, quod passiones essent omnino subjectæ rationi, et moderatæ, non solum ratione unionis, sed etiam ex fortitudine rationis, quia hoc pertinet ad perfectionem interiorem Christi, ut docet S. Thomas infra quæst. XV, art. II ad tertium, ubi inquit : « Quod fortitudo spiritus aliqualis ostenditur ex hoc quod resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis; sed major fortitudo spiritus ostenditur, si per ejus virtutem totaliter caro comprimitur, ne contra spiritum concupiscere possit, et ideo hoc competebat Christo, cujus spiritus summum fortitudinis gradum attigerat. » Sic S. Thomas.

V. Ubi notandum est, quod cum posset probare in Christo non esse fomitem peccati ex vi unionis hypostaticæ, quæ totaliter impediabat inclinationem in peccatum, maluit hoc probare ex ipsa perfectione, et fortitudine spiritus, seu rationis, quia unio hypostatica solum tenebat se ex parte personæ, seu principii quod operativi, ex qua parte non poterat in Christo esse peccatum. Regulatio autem rationis et moderatio ipsarum passionum tenet se ex